



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. An Baptismus sit omnibus ad salutem necessarius?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

DISPUTATIO III.

De suscipientibus Baptismum.

Ad questionem 68. D. vi. Thomæ.

Cum agens & patiens sint correlativa, recto doctrinæ ordine, postquam D. Thomas egit de ministris Baptismi, disserit de suscipientibus Baptismum, ac de ejus necessitate & obligatione, de quibus etiam in hac disputatione dicemus.

ARTICULUS PRIMUS.

An Baptismus sit omnibus ad salutem necessarius?

§. I.

Quibusdam premis referuntur sententia.

Notandum primò, ad finem supernaturalem consequendum duobus modis solere aliquid dici necessarium, nimirum necessitate mediæ, & necessitate præcepti: necessarium necessitate mediæ est illud sine quo finis nullo modo potest obtineri, siue culpabiliter, siue inculpabiliter omitatur: quo pacto auxilium divinum potest dici necessarium necessitate mediæ ad actum amoris eliciendum, quia si homo, etiam sine sua culpa, illo privetur, actum illum non eliciet. Illud verò dicitur necessarium necessitate præcepti, de quo extat præceptum, sine eo tamen potest finis obtineri, si nimirum inculpabiliter & ex legitima causa omitatur: hoc modo auditio missæ dicitur necessaria tantum necessitate præcepti, ad obtinendam gratiam & salutem, quia licet omittere missam culpabiliter, non consequatur gratiam, illa tamen non privaretur, si legitimum adesset impedimentum ad illam non audiendam.

Notandum secundo, quod quando inquirimus, an Baptismus sit omnibus ad salutem necessarius? hoc intelligi debet, secluso privilegio, & martyrio, quia certum est, Deum posse speciali privilegio aliquem in utero matris sanctificare, & à peccato originali mundare, sine Sacramento baptismi, ut constat de Jeremia, & Joanne Baptista. Patet etiam ex dictis disp. 1. art. 7. martyrium posse supplere vicem baptismi, tam in parvulis, quam in adultis, & ex opere operato illos justificare. His positis.

Circa propositam difficultatem, seu baptismi necessitatem, in primis est antiquus error Pelagianorum, qui cum existimarent nullum esse peccatum originale, consequenter etiam asseriebant baptismum ad salutem obtinendam nullatenus esse necessarium, & parvulos omnes tam fidelium quam infidelium habituros sine baptismi vitam æternam, circa quodvis privilegium. Sed hic error jampridem ab Ecclesia damnatus est, fuscque à nobis confutatus in Tractatu de peccatis disp. 7. art. 1. ubi peccati originalis existentiam ostendimus, & præcipua Pelagii & Juliani argumenta diluimus.

Deinde est alius error Calvinistarum, qui eò quod legantur apud Apostolum 1. ad Corint. 7. filios fidelium vocari sanctos, docent nulli eorum im-

S

putari

quia hæc ceremonia instituta est ab Ecclesia, ut A
baptizatus in fide Catholica instruat; hæreticus autem à via veritatis aberrans, non ritè instrueret infantem; quare est contra Ecclesiæ consuetudinem, susceptorem designare hæreticum, non instructorem, sed corruptorem. Unde si commodè patrini Catholicus in terris hæreticorum haberi nequeat, tenetur Parochus baptizare infantem absque ullo patrino, quia ceremoniæ Baptismi sunt omittenda, quando nequeunt debito modo & ritè adhiberi. Item parentes pueri baptizandi, non possunt esse ejus susceptores seu patrini, ut dicitur cap. *Pervenit*, & cap. *Dictum* 1. 30. quæst. 1. & docet S. Thomas hic art. 8. B
ad 2. optimamque congruentiam asserit, cum enim generatio spiritualis, alia sit à carnali, alios debet habere parentes seu auctores. Demum Abbates, & Monachi, non possunt esse patrini in Baptismo, ut patet ex cap. *Non licet*, de consecrat. dist. 4. ubi sic dicitur: *Non licet Abbati vel Monacho, de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere.* Et in cap. *Placuit* 16. quæst. 1. inter alia prohibetur Monachis, ne filios de Baptismo suscipiant. Item S. Gregorius Papa libro 4. Epist. 40. prohibet sub præcepto, *Monachos filii commatres facere.* Quam prohibitionem extendi ad Religiosos omnes etiam mendicantes, constat ex communi Doctorum sententia, & ex Rituali Pauli V. titulo de *Patrino*, ubi dicitur: *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel sanctimonialis, vel alii cuiusvis Ordinis Regulares, à seculari segregati.*

Quoad numerum verò susceptorum, variæ fuerunt diversorum temporum consuetudines, nam olim unus solum admittebatur ad quemlibet baptizatum suscipiendum, sic enim statutum fuerat ab Hygino Papa, ut habetur Can. *In Catechismo* de consecrat. dist. 4. postea verò admissi sunt plures, ut colligitur ex cap. *Quis*, de cognitione spirituali, in sexto. Concilium verò Tridentinum sess. 24. de reformat. Matrimonii cap. 2. D
statuit ut unus tantum siue vir siue mulier, vel ad summum unus & una, baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum & illius patrini & matrem, nec non baptizantem & baptizatum, baptizantique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Ex quo rectè colligunt aliqui, duos viros, etiam solos, aut duas mulieres, etiam solas, non posse esse susceptores. Alii inferunt, quod si pater suscipiat proprium filium, contrahit cognitionem spirituales cum propria uxore, unde non potest ab ea petere debitum, nisi obtenta dispensatione. Hoc tamen negat Suarez, existimans de facto peccare quidem parentes, si proprios filios de sacro fonte suscipiant, non contrahere tamen impedimentum petendi & reddendi debitum: quia licet per jus antiquum hæc pœna fuisset taxata, huic tamen juri derogatur formaliter per contrariam constitutionem Alexandri III. quæ habetur cap. *Si vir* de cognitione spirituali, his verbis: *Idem nobis videtur, quod si ex ignorantia siue ex malitia id fecerint (id est proprium filium de sacro fonte susceperint) non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis fraus non debet patrocinari, nec dolus.*

Tom. V.

putari à Deo peccatum originale, licet illud verè contrahant, idque in gràtiam parentum, ac proinde baptismum non esse illis necessarium, ad salutem.

4 Ex Catholicis verò Cajetanus ad art. 2. hujus questionis docet, deficiente opportunitate baptizandi parvulos, votum baptismi à parentibus aut ab aliis conceptum, eis sufficienter prodesse ad salutem, præcipuè cum aliquo exteriori signo. Quod ibidem sic explicat, dicens: *Debet autem in tali casu parens signo Crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sique Deo offerre morientem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Item super art. 11. hujus questionis hæc scribit: *In articulo undecimo occurrat scribendum & consequenter dicendum (sub correctione tamen) parvulos in maternis uteris periclitantes, posse salvari per Sacramentum Baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis.* In eandem sententiam propendere vidantur Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, tomo 3. serm. de nativitate Beate Virginis, habito in Concilio Constantiensi, considerat. 2. & Gabriel in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 3. dubio 2. & nonnullos Recentiores eam probabilem existimare, testatur Serra hic art. 2. Demum Joannes Caramuel in Theologia fundamentali cap. 7. fundament. 64. num. 1289. §. 2. hæc scribit: *Progredior & inquirò, an omnes infantes non baptizati excludantur à cælo? Christianorum filios nonnulli à filiis infidelium distinguunt, & ducuntur ratione que bona solutione indigeret. Sic arguunt: privilegia neminem gravant, nam gravamina privilegia non sunt: atqui baptismus est privilegium: ergo neminem gravat: ergo Christiani filius qui à parente suo est Deo oblatus, invari poterit baptismus: at eo non indiget. Probatur consequentia: quia stando legi naturali, infans parentis oratione, aut oblatione ab originali liberaretur, nec indigeret baptismus: ergo si modo fide parentum, & baptismus etiam indiget, peioris conditionis est, quam erat: ergo baptismus gravamen est, privilegium non est. Hac ratione Campanella traductus, hanc propositionem: (Infantes filij Catholicorum, qui moriuntur sine baptismis, in fide parentum salvantur) multis viris doctis proposuit. At nonnulli quorum exhibet nomina, illam temerariam, erroneam, contra torrentem Theologorum, in re maximi momenti, esse dicunt: sed non hæreticam. An ne subscripsit huic censuræ etiam Lugo. Non habeo ad manum illum librum: at puto inter alias Lugonis subscriptionem legisse. Hæc Caramuel, qui & argumentum insolutum relinquit, & nullà hanc sententiam censurâ notat, unde illi ut probabili ad hæreticè videtur.*

§. II.

Error Calvini proscribitur.

Dico primò: Pueros à parentibus fidelibus natos, non esse sanctos ab utero materno, subindeque indigere baptismatè, ut à peccato originali mudentur.

Probatur primò conclusio ex Scriptura, ex qua constat originale peccatum imputari etiam filiis fidelium, ait enim Apostolus ad Ephes. 2. *Eramus & nos naturà filij iræ, sicut & ceteri: nos inquit, Judæi, licet ex fidelibus, & Judæis, atque ex Dei populo nati, æque ac ceteri nati*

A ex infidelibus, eramus naturà, id est ab origine, & ex naturali generatione, filij iræ & damnationis æternæ: *Si enim filij iræ, sicut dicitur, filij pœnæ, filij gehennæ, inquit D. Augustinus Tractatu 44. in Joan. Item Jacob & Esau nati sanctus, & liber à reatu peccati originali ut patet ex illo ad Roman. 9. Antequam quicquam boni vel mali egissent, Jacob dilectus, Esau autem odio habuit. Similiter David natus erat deo parente fidei, & tamen Psalm. 50. deplorat suam immundam conceptionem, dicens: Ego iniquitatem conceptus sum, & in peccatis conceptus mater mea. Denique loca Pauli ad Rom. 1. & 2. ad Corinth. 1. Christus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt ad eum sunt universalis, ut filij Sanctorum & fidelium, ab hac lege minime eximantur: non igitur filij fidelium nascuntur sancti, quapropter Hieronymus Epist. 7. ad Leatham, Terullianus in Apologetico cap. 17. & alii docent Christianos, non nasci, sed fieri. Ergo pueri à parentibus fidelibus nati indigent baptismate, ut à peccato originali mudentur.*

B Probatur secundo conclusio: Si filij fidelium non esset ad salutem necessarius baptismus, propositio illa generalis Christi Joan. 3. *Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, &c.* esset falsa, ut de se patet. Neque valet evasione Calviniana, dicentis nomen aque non sumi ibi proprie pro vera aqua, sed metaphoricè pro Spiritu Sancto mundante instar aque, sicut (inquit) quod dicitur, *Ipsè vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, per ignem intelligitur Spiritus Sanctus qui peccata ad instar ignis consumit, & animam mundat ac purgat. Non valet, inquam, hæc evasio, nam ut supra disp. 1. art. 2. ostendimus, hæc verba Christi ad Nicodemum, non possunt ad sensum metaphoricum detorqueri, sed debent vera & naturaliaque intelligi: idcirco merito Tridentinum sess. 7. can. 2. de Baptismo anathematizat eum qui verba illa ad metaphoram aliquam detorsit. Nec verba illa Martini Ipsi vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne, Calvinii responsionem juvant, nam cum certum sit, non dari baptismum in igne, sicut in aqua, necessitas expositionis cogit recurrere ad metaphoram in illo loco, non verò in illo quem ex Joan. 3. adduximus.

D Dices tamen, Joan. 6. dicitur universaliter: *Nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, & tamen sub hac generali sententia parvulos non comprehendimus: Ergo similiter, esto locus citatus Joan. 3. sit intelligendus de baptismo aquæ, tamen ab illa generali sententia poterunt pueri fidelium excipi.

E Sed negatur consequentia & paritas, ratio delicti criminis est, quia pueri sunt capaces regenerationis spiritualis, ad quam ordinatur Sacramentum Baptismi, non verò nutritionis spiritualis, ad quam ordinata est Eucharistia: nutritio enim spiritualis est ad restaurationem ejus quod de spiritualibus viribus per quotidiana peccata perditum est; quæ deperditio cum locum mortis habeat in parvulis, etiam spiritualis nutritio in ipso loco habere nequit.

Contra istam conclusionem obijciunt primò hæretici Deus Genesis 17. promissit Abraham fore Deum ipsius, & seminis ejus, peculiari quædam ratione, nempe per gratiam: Sed injuriam facit divinæ huic promissioni, qui dicit eam non

sufficere ad salutem sine baptismo: Ergo cum fideles omnes, & eorum filii, sint semen Abraham, qui est pater omnium credentium, non potest absque injuria divinæ promissionis ei factæ, asseri quod infantibus fidelium necessarius sit baptismus ad salutem.

Respondeo promissionem illam à Deo factam Abraham, posse dupliciter explicari, vel secundum sensum literalem, vel secundum spirituales & mysticum: si secundum literalem explicetur, nihil facit ad propositum, quia Deus non promittit Abraham secundum litteram, & semini ejus, gratiam peccatorum remissionem, & vitam æternam, sed peculiarem protectionem, gubernationem, & terrenam felicitatem: si verò explicetur illa promissio secundum sensum mysticum, tunc quidè poterit intelligi de gràtia & vita æterna, at non per carnalem generationem ex parentibus (ut exultimavit Calvinus) sed per spirituales regenerationem in Christo, quæ fit in baptismo, ut colligitur ex doctrina Apostoli ad Roman. 4. nec non ad Galatas 3. & 4. asserentis eos esse filios Abraham secundum promissionem, non qui filii carnis, sed qui sunt filii fidei, id est fideles, sicut Abraham: parvuli autem non incipiunt esse fideles, nisi cum baptizantur. Certè, si omnes filii fidelium nascantur sancti, ex vi illius promissionis, vel omnes remanent fideles, vel aliqui postea deficiunt? Si aliqui deficiant: Ergo malè docet Calvinus, fidem aut sanctitatem semel habitam amitti non posse. Si verò omnes remanent fideles & sancti: Ergo neque Judæi poterunt deficere à fide, cum sint omnes posterii Abraham, neque Ecclesia Romana, quam tamen Calvinus ait defecisse: neque filii Calvinistarum possunt deficere à fide Calvinistica, quod tamen est contra experientiam.

Obijciunt secundo hæretici: Apostolus 1. ad Corinth. 7. filios fidelium vocat sanctos: Ergo illi non indigent baptismo ad sanctificationem.

Respondeo Paulum ibi loqui de filiis natis ex uno conjugis fidei, & altero infideli, qui aliquando sanctificantur, baptizati & conversi curâ & operâ parentis fidelis, sicut etiam conjux infidelis, non raro à fidei convertitur: eoque sensu dicitur ibi sanctificari vir infidelis, per mulierem fidelem. Neque enim existimandum est, virum infidelem, manentem infidelem, sanctificari per uxorem fidelem, cum idem Apostolus ad Hebræos 11. absolute pronuntiet, *sine fide impossibile est placere Deo*, & Marci ultimo Christus dixerit, *Qui non crediderit, condemnabitur*. Hujus ergo tantiboni spe hortatur ibi Apostolus conjuges fideles, ad habitandum cum conjugibus infidelibus, pacifice cohabitare volentibus: *Sanctificatus est enim* (inquit) *vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: aliqui filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: vel de facto, quia jam studio & curâ conjugis fidelis baptizati sunt; vel in spe non permanendi in immunditia & infidelitate: sed aliquando emergendi ex illa, ope parentis fidelis, ut interpretantur Tertullianus, Hieronymus, Augustinus & alii, quicquid de causa filios parentum fidelium, ante susceptum baptismum, vocant *Conditos fidei & sanctitatis*, id est destinatos ad illam parentibus fidelibus.*

§. III.

Cajetani sententia rejicitur.

Dico secundo, temerarium & errori proximum est, asserere quod deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ad eorum salutem sufficit votum baptismi à parentibus aut ab aliis conceptum, cum aliquo signo exteriori, vel cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione sanctissimæ Trinitatis. Est contra Cajetanum supra citatum, cujus opinio è commentariis ejus in D. Thomam, jussu Pii V. expuncta fuit, licet adhuc in quibusdam exemplaribus vetustioribus, aut Romæ non censis, reperitur.

Probatur primò ex D. Ambrosio lib. 2. de Abraham cap. ultimo, ubi explicans illa verba Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c. Vtique* (inquit) *nulum excipit, non infantem, non aliquam præventum necessitate. Et ex Augustino lib. 1. de peccatorum meritis cap. 18. sic dicente: Quis Christianorum ferat, cum dicitur ad æternam salutem posse queninguam pervenire, si non renascatur in Christo, quod per baptismum fieri voluit? Unde idem S. Doctor ibidem capite 27. de parvulis ait: Quoniam de ovibus eius esse non incipiunt parvuli, nisi per baptismum, profecto si hoc non accipiunt, peribunt.*

Dices, SS. Patres loqui de baptismo suscepto vel in re vel in voto proprio, in iis qui ipsum habere possunt, quales sunt adulti, vel in voto parentum, in his qui proprium habere nequeunt.

Sed hanc expositionem, si potius evasionem, destruit alia D. Augustini doctrina in Epistola 57 & 105 nec non libro 1. de peccat. meritis cap. 21. docet enim ibi referendum esse ad occulta Dei iudicia, tamen si iustissima, quod parvulorum alius ad baptismum perveniat, & salvetur; alius verò non perveniat & damnetur, tamen si salutem ejus summò perè exoptent, & quantum in ipsis est procurent parentes. Similiter S. Prosper carmine de ingratis cap. 30. ait: *Multos sanctis genitoribus ortos, nullo salvari studio potuisse suorum.* Ex quo manifestè deducitur, votum parentum pro baptismo suorum parvulorum, non sufficere eis ad salutem. Quare Divus Thomas quodlib. 6. art. 4. asserit nusquam apud Augustinum & SS. Patres reperiri, quod Baptismi vicem suppleat, nisi baptismus sanguinis, aut flaminis.

Probatur secundo conclusio: Vel illa caremonia consignationis crucis, cum protestatione fidei, sufficere potest ad salutem omnibus omnino parvulis qui baptizari non possunt, vel aliquibus tantum ex illis? Non aliquibus tantum, nulla enim est assignabilis ratio discriminis. Neque omnibus, alias enim perinde erit ac ponere, quantum ad effectum gratiæ peccati originalis remissionis, præter baptismum, aliud Sacramenti genus: Ergo &c.

Confirmatur: Cum lex generalis sit de baptismo, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* non potest asseri, votum baptismi, cum aliquo signo exteriori, vel cum aliqua benedictione prolis, sufficere ad parvulorum salutem, quando non adest oportunitas eos baptizandi, nisi dicatur, esse privilegium, seu exemptionem à tali jure, seu lege generalis à Christo condita, & verbis relatis declarata: At hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major patet, Minor probatur. Quando constat de ipsa lege

lege, nisi constet etiam de privilegio derogante legi, nullum censetur huiusmodi privilegium: Ergo cum non constet nobis de privilegio illo Cajetani, derogante legi generali Baptismi, quia neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligitur, nullum plane & fictitium censeri debet. Unde contra hunc Authorem merito adduci potest illud Augustini de natura & gratia cap. 8. contra Pelagium, de parvulo nato, ac mortuo in loco in quo non potuit baptizari: *Absolvat eum Pelagius, & aperiat ei contra sententiam Domini regnum celorum, sed non absolvit eum Apostolus dicens, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.*

16 Probatum tertio: Eadem omnino ratione, quâ asserit Cajetanus, defectum Baptismi suppleri posse in necessitate quoad infantes ex parentibus Catholicis natos, per fidem parentum ipsis applicatam, mediante signo crucis, cum invocatione Trinitatis; eadem, inquam, ratione poterit dici, Deum per seipsum supplere etiam defectum talis ceremoniæ in infantibus prope innumeris qui moriuntur quotidie apud Turcas & infideles, ne scilicet omni præsidio salutis destituti, miserè pereant, ut loquitur Cajetanus, & sic omnes infantes, quibus non potest applicari baptismus, salvabuntur, quod sine ingenti temeritate affirmari nequit; nam ut ait Prosper. lib. de vocatione Gentium cap. 8. *Non est fas credere, eos parvulos, qui regenerationis non sunt adepti Sacramentum, ad illum pertinere beatorum consortium, cum Dominus dixerit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Similia docet Augustinus variis in locis, nam lib. 3. de peccat. meritis cap. 23. sic ait: *Nulla ex arbitrio nostro salus eterna, præter baptismum Christi, promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura Divina, humanis omnibus rationibus preferenda.* Et lib. 3. de origine animæ cap. 3. *Noli credere (inquit) noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, pervenire posse ad originalium peccatorum indulgentiam, si vis esse Catholicus.* Item Fulgentius de fide ad Petrum cap. 26. alias 27. *Firmissime tene, non solum homines ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in utero matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur; sive iam de matribus nati, sine Sacramento baptismi, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sanctis, de hoc saculo transeunt, sempiterno igne puniendos.* Quare licet fateri necesse sit, parvulos extra baptismum & martyrium, ex speciali Dei privilegio & dispensatione salvari posse, quia virtus divina nullis legibus est alligata; & sicut parvulum salvat per baptismum, ita sine baptismo eum potest salvare de nullo tamen, citra revelationem specialem, potest sine temeritate asseri, ita fuisse salutem consecutum: illa enim assertio est temeraria, quæ à generali Dei lege, qualis est lex de baptismo, exceptionem facit, quam Ecclesia Catholica, & Sancti eius Doctores non fecerunt.

17 Hinc colliges contra Gersonem suprà citatum, non debere parentes orare Deum, ut infantes nondum natos, si in utero matris sint morituri, salvos faciat, sed potius, ut quia sine baptismo non est salus, dignetur eos in vita servare, donec in lucem editi, aquâ salutis abluantur: quomodo S. Augustinus serm. 37 de diversis refert orasse mulierem quandam pro parvulo ante baptismum defuncto, non ut salvaretur sine baptismo, sed

ut ad momentum revivisceret, quo baptizaretur, quod & factum fuit.

§. IV.

Solvuntur argumenta Cajetani.

O Bjcit in primis Cajetanus: Non obstat præcepto circumcisionis in lege antiqua, dum necessitas urgebat, ante octavam diem nati-
vitatibus pueri, sufficiebat illi ad salutem fidei præ-
rentum, applicata, per aliquod signum sensibile.
Ergo similiter, imò à fortiori, modo in lege
novæ, non obstante præcepto baptismi, sufficit
parvulo qui non potest baptizari, applicatio
idem fidei, cum signo & invocatione sanctissimæ
Trinitatis. Antecedens est certum, & communiter
docetur à Theologis. Consequentia vero probatur.
Tum quia fides non fuit majoris virtutis in
efficiaciâ apud veteres, quàm apud nos. Tum
etiam, quia si in lege veteri ante octavam diem
sufficiebat ad salutem parvuli remedium legis
naturæ, non verò in lege Evangelica, quia
parvulo non potest applicari baptismus, sequitur
parvulos in nova lege esse deterioris conditionis
quàm in lege scripta, & in lege naturæ; ac per
Evangelium viam salutis esse arctatam, & difficiliorem redditam.

Responleo concessio Antecedente, nego consequentiam, & paritatem: Ratio discriminis
est, quia cum in lege Moysis prohibuisset Deus
puerum circumcidi ante octavam diem, condi-
quens erat, ut aliud remedium periclitanti
ante octavam diem relinqueret applicandum,
scilicet Sacramentum legis naturæ: nunc vero
quia sic baptismum instituit, ut non prohiberet
ipsum applicari pueris statim ac in lucem editis,
non est mirum, si nullum aliud remedium
pro ipsis reliquerit. Ad primam probationem
contrarium dico, quod licet fides in ratione
non esset majoris virtutis apud veteres, quàm
apud nos, imò majoris efficaciæ sit fides nostra
potest explicita circa mysteria Incarnationis
Trinitatis, quàm illa, quæ erat tantum implicita
in lege veteri, quoad ista mysteria: in ratione
men Sacramenti, fides antiquorum signo sensibili
expressa, habebat aliquid supra fidem nostram,
nempe quod valeret ad salutem parvulorum
per modum Sacramenti ipsi applicata, quodiammodo
habet modo.

Ad secundam probationem nego sequentiam:
multi enim erant tam in lege naturæ quàm in
lege Mosaica, quibus parentes applicare non poterant
remedium aliquod contra peccatum originis
legis, & quamvis facilius esset applicatio reme-
dij legis naturæ, quàm legis gratiæ, quia illud
erat ita determinatum, ex eo tamen non sequitur
parvulos in lege Evangelica esse deterioris condi-
tionis, quàm in lege naturæ, vel in lege Mosaica,
tum quia nunc plures salvantur in lege Evangelica,
toto orbe diffusa, quàm tunc in lege naturæ
toto; tum etiam quia baptismus uberioram gratiam
præstat, & citius ad gloriam perducit.

Addo quod aqua quæ est materia baptismi
valde communis, & facilius est abluere, & quæ
dam verba proferre, quàm signo sensibili abluere
gere actum fidei supernaturalis, qui requiritur
ad remedium legis naturæ; unde tunc non poterat
à tam multis subveniri parvulis, sicut nunc
quia tunc non nisi à fidelibus Sacramentum pro
parvulis institutum adhiberi poterat, nunc vero
etiam

etiam à paganis, hæreticis, & infidelibus, baptisma administrari potest, ut Tractatu præcedenti disp. 6. art. 3. ostensum est. Ex quo patet, per institutionem baptis. viam salutis non esse ar. etiam, aut difficiliorem redditam, sed potius magis dilatam, cum plures sint fideles, qui ejus procurent applicationem, quam essent in lege natura, vel in lege scripta, qui sacramentum pro parvulis tunc institutum applicarent.

Obijcit secundo Cajetan: Deus habet voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, per quam omnibus dat auxilia sufficientia ad salutem, ut in Tractatu de voluntate Dei contra Iansenium ostendimus: At hoc falsum esset, si non esset aliquod medium, quò deleteretur in parvulis originale peccatum, dum baptizari non possunt; Deus enim ipsis nullum daret auxilium seu medium sufficiens ad salutem; subindeque voluntas antecedens quam habet salvandi omnes homines, ad parvulos non se extenderet, nec Christus omnium parvulorum Redemptor dici posset cum illius redemptio non excedat objectivè voluntatem generalem, quam habet de salute omnium hominū, utpote ab illa imperata: Ergo &c.

Priusquam huic objectioni respondeam, dico hanc difficultatem militare etiam contra sententiam Cajetani: sunt enim aliqui quibus nedum baptis. sed neque etiam aliquod aliud remedium adhiberi potest; puri qui vel in utero matris præfocantur, vi influxus causarum naturalium, vel qui improvisa omnino morte rapiuntur statim post natiuitatem. Unde si argumentum Cajetani valeat, sequitur Deum non habere voluntatem antecedentem de salute illorum parvulorum, nec Christum dici posse illorum Redemptorem.

Nec valet si quis in favorem Cajetani respondeat, parentes posse & teneri adhibere parvulis, etiam in utero matris, medium aliquod sensibile, quò à peccato originali mudentur, statim ubi constat de animatione fœtus, sicque prædictos parvulos non destitui mediis & auxiliis sufficientibus ad salutem, saltem mediè, & in suis parentibus. Non valet, inquam, Primo quia sæpe contingit non statim percipi quando fœtus incipit animari, & mori priusquam constet aut constare possit de ejus animatione. Secundo, quia hæc responsio est contra communem Ecclesiæ fidem, & praxim; illa enim solet universaliter negare sepulturam in loco sacro parvulis in utero matris suffocatis. Tertiò, hac admisa responsione, unum è duobus esset necessariò admittendū, scilicet aut quòd baptis. non esset per se necessarius ad gratiam conferendam, sed per accidens, in casu quo remedium illud non esset prius à parentibus in utero matris fœtui applicatum; aut quòd tale remedium non esset per se causativum gratiæ, sed per accidens tantum, quando fœtus infaillibiliter esset moriturus, antequam baptizari posset. Primum est fidei contrarium, juxta quam baptis. per se & essentialitè est unum & sacramentis mortuorum, ac proinde per se ad primam gratiam conferendam ordinatum. Secundum verò est omnino fictitium, nullibi enim habetur Deus aut Christum ita disposuisse, imò lex contraria statuta est, nullum scilicet intraturum in regnum colorum, nisi prius ex aqua & Spiritu Sancto renatus fuerit.

Dices: Pueris adhuc in utero materno existentibus communicatur culpa originalis: Ergo est aliquod remedium pro eis antequam nascantur

Tom. V.

A morientibus institutum, quo applicetur ipsis meritum Christi, cum id efficacius sit (ut docet Apostolus) quàm demeritum Adami, quod est causa contractionis originalis peccati.

B Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: ratio discriminis est, quia licet meritum Christi sit efficacius peccato Adæ, quia delet ipsum, & alia peccata, non eodem tamen modo applicatur: peccatum enim originale transfunditur per generationem carnalem, subindeque contrahitur in utero ubi fit illa generatio; meritum verò Christi applicatur per generationem spirituales, quæ non fit nisi extra uterum, quia non fit nisi per sacramentum regenerationis, quod est baptis., inapplicabilis pueris nondum in lucem editis. His præmissis.

C Ad objectionem respondeo, concessa Majori, 24. negando sequelam Minoris, ut enim voluntas antecedens quæ Deus omnium hominum salutem desiderat, & generalis Christi redemptio, ad parvulos omnes, etiam ad illos qui in utero matris moriuntur, & ad illos quibus post natiuitatem nullà humanà diligentia potest applicari baptis., se extendat, non requiritur quod Deus ipsis de facto contulerit medium seu remedium, quo peccatum originale in ipsis deleri possit, sed sufficit, quod universaliter pro omnibus parvulis baptis. institutus fuerit, & omnibus oblatus, & præparatus, & per merita Christi quoad sufficientiam obtentus. Unde quando dicitur, quod Deus per voluntatem antecedentem quæ desiderat omnium hominum salutem, dat omnibus auxilia seu media ad salutem sufficientia, distinguendum est: si ly dare accipiat, prout significat idem quod præparare seu offerre in communi, concedendum est. Si ly dare accipiat, prout est correlativum ad recipere, & prout significat ipsam intrinsecam receptionem auxiliorum, negandum. De quo fusè in Tractatu de prædestinatione.

§. V.

Quid de adultis dicendum?

D Ico tertiò, baptis. in re vel in voto esse omnibus adultis necessarium necessitate 25. medi ad salutem.

Conclusio patet ex supra dictis, omnia enim testimonia pro præcedenti conclusione adducta, procedunt tam de adultis quàm de parvulis: Ergo baptis. est etiam istis necessarius necessitate medi. Deinde ut discurrit D. Thomas hic art. 1. sine eo non potest aliquis salvari, per quod homo incorporatur Christo, fitque ipsius membrum; nullus enim potest salutem consequi, nisi per Christum, ac proinde nisi Christo incorporetur; quia sicut per unius hominis delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem, ut ait Apostolus ad Roman. 5. Sed homo per solum baptis. incorporatur Christo: Ergo sine baptis. nullus potest salutem consequi.

E Quòd verò adultis interdum sufficiat baptis. 26. in voto, manifestum est, nam ut docent Theologi in Tractatu de justificatione, vel de penitentia, adultus eliciens actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia (in qua includitur votum seu desiderium servandi omnia præcepta, & consequenter votum suscipiendi baptis.) statim consequitur gratiam, quia ponit ultimam dispositionem ad justificationem.

Sed controversia est inter Authores, quodnam 27.

S iij

votum

votum baptismi sit necessarium ad justificationem & salutem, quando baptismus non potest in re haberi? Pro cuius intelligentia & resolutione, sciendum est duplex esse votum baptismi: implicitum scilicet & explicitum. Implicitum nihil aliud est, quam vel voluntas servandi totam legem Christi, vel ingrediendi Ecclesiam, vel vitam æternam acquirendi per media à Deo vel Christo definita: quamvis enim habens talem voluntatem, nihil audierit de baptismo, dicitur tamen habere virtualiter & implicitè propositum suscipiendi baptismum, ex eo quod baptismus est medium necessarium ex institutione Christi, ad ingrediendum Ecclesiam, & veram beatitudinem acquirendam. Votum verò explicitum, est formale propositum sive desiderium suscipiendi baptismum in particulari: unde istud terminatur ad baptismum in particulari, illud verò ad aliquid commune, in quo baptismus continetur, aut cum quo connectitur. His præmissis.

28

Quidam existimant, votum explicitum baptismi nec ad salutem nec ad justificationem necessarium esse, sed ad utramque votum illius implicitum & virtuale sufficere. Alii verò docent, ad salutem quidem votum explicitum baptismi requiri, non tamen ad justificationem. Sed probabilior est sententia quæ asserit post legis Evangelicæ promulgationem, votum explicitum baptismi, tam ad justificationem, quam ad salutem esse necessarium. Eadem enim est ratio de voto baptismi, ac de fide Trinitatis & Incarnationis: Sed probabilior, & menti S. Doctoris conformior est sententia quæ asserit, post Christi adventum, & legis Evangelicæ promulgationem, fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis, esse necessariam ad justificationem & salutem, necessitate mediæ, ut in Tractatu de fide ostensum est: Ergo & quæ docet votum explicitum baptismi, ad utramque necessitate mediæ adultis esse necessarium.

Disp. 6.
art. 5.

§. VI.

Corollaria notata digna.

29

EX dictis inferes primò, baptismum esse etiam necessarium necessitate præcepti divini ad salutem. Est enim regula generalis, quod omne medium per se necessarium ad salutem, si subest arbitrio nostro, est etiam necessarium necessitate præcepti divini: siquidem nihil magis debuit cadere sub præcepto divino, quam illud sine quo vita æterna haberi non potest, si tamen sit in arbitrio nostri facultate: etenim non satis Christus legislator providisset bono & perfectioni suæ rei publicæ, quæ est Ecclesia Christiana, si non imposuisset specialia præcepta circa illa quæ ad finis ipsius consecutionem instituit tanquam media necessaria: Sed, ut jam ostendimus, baptismus est medium ad salutem necessarium: Ergo etiam est necessarius necessitate præcepti.

30

Hoc verò præceptum obligat omnes adultos habentes baptismi copiam, quamvis sint per gratiam spiritualiter regenerati, seu per baptismum flaminis justificati: Nicodemus enim (ut notat S. August. tract. 11. in Joan. et in gratia tamen Christus de dixit illi, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Imò etiam si aliqui nunc sanctificarentur in utero, nihilominus tenerentur baptizari, ut docet S. Thomas hic art. 1. ad 3. his verbis: *Illi qui sunt sanctificati in utero, consequuntur quidem gratiam emundantem à peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem quo Chri-*

sto configurentur; & propter hoc, si aliqui nunc sanctificarentur in utero, necesse esset eis baptismum ut per susceptionem characteris, alius mentis Christi conformarentur. Et in 1. dist. 6. quæst. 1. art. 1. baptizari propter tres rationes. Primo propter acquirendum characterem, quo annuuntur in populo Dei, & quasi deputentur ad percipiendam divinam hereditatem. Secundo, ut per baptismi perceptionem, & fisioni Christi etiam corporaliter conformentur. Tertio propter bonum obedientie, quia præceptum de baptismo omnibus datum est, & ab omnibus impleri debet nisi articulus necessitatis sacramentum excludat.

Dices, formam baptismi non posse de tali modo verificari, illa enim significat ablationem non tantum materialem, sed etiam spirituali peccato: At puer qui esset sanctificatus in utero matris, non posset spiritualiter mundari per baptismum à peccato originali, cum per sanctificationem in utero, ab illo jam esset mundatus. Ergo: &c.

Respondeo primò; hoc argumentum minime probare, probat enim non posse vere applicari formam baptismi adulto, qui jam ante peractum dilectionis supernaturalis, vel contritionis peccata, à peccatis mundatus fuerit.

Respondeo secundo, negando Antecedens, cuius probationem dicendum est quod si verba, *Ego absolvo te à peccato tuo*, quæ sunt forma sacramenti Penitentiae, nihil aliud significant, nisi ego impertior tibi gratiam remissionis peccatorum, seu quæ de se potens est ad solvendum peccatorum vincula, si subiectum illis inveniamur ligatum. Ita pariter hæc verba, *Ego te baptizo*, quæ sunt forma sacramenti baptismi, nihil aliud significant essentialiter, nisi infusionem gratiæ sanctificantis, quæ de se valet ad peccatum originale & actuale delendum, sicut in subiecto inveniamur. Unde sicut in Sacramento Penitentiae prædicta verba, *Ego absolvo te à peccato tuo*, verificantur, quamvis penitens solum peccata sua confessa & remissa, quibus proinde non ligatus confiteatur: ita pariter in Sacramento Baptismi, hæc verba, *Ego te baptizo*, vera sunt, quamvis ille qui baptizatur, per gratiam sanctificantem peccato originali & actuali, jam mundatus sit. Adde, lavari & mundari spiritualiter possunt solum eos qui sunt infecti peccato, sed & alios à illo mundos; possunt enim magis magisque mundari, id est per augmentum gratiæ sanctificantis magis removeri à statu peccati: sicut illi qui sunt peccato aliquo sunt infecti, possunt tamen magis magisque infici, juxta illud Apocal. 2. *Qui sordidus est, sordescat adhuc, & qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur adhuc.*

Inferes etiam ex dictis, baptismum non debere differri usque ad finem vitæ, vel ad longum tempus, sed post sufficientem instructionem de rebus fidei, suscipi. Per baptismum enim homo describitur militiæ Christianæ: est autem irratiabile ut tunc aliquis ad scribatur militiæ, quando cessat bellum. Deinde baptismus est institutus hominem in Christo regenerandum, & constitutum Ecclesiæ membrum, ut sit capax totorum Sacramentorum, fructus sacrificii, & obedientiæ ac subiectionis, respectu iurisdictionis Ecclesiasticæ; quo fine magna ex parte frustratur, si usque ad finem vitæ, vel ad longum tempus, differetur. Addit D. Thomas in 4. dist. 1.

quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. quod in baptismo confertur gratia ad bene vivendum, & peccata tolluntur præterita, & impediuntur futura; & ideo quævis baptisimus in fine vite susceptus, plura peccata præterita tolleret, tamen pauciora impediret, & ad pauciora bona promoveret, & ideo minus esset utilis. Præterea multus casibus subiacet humana vitæ, & posset contingere, ut qui baptismum in fine vite accipere, expectaret, morte subitâ præventus, expectatione suâ fraudaretur. Unde Chrysostomus homil. 13. ad Hebræos: Multos novi qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant: circa diem autem mortis, discesserunt vacui.

Dices, Præcepta affirmativa non obligant, nisi tempore necessitatis: Sed præceptum de baptismo est affirmativum: Ergo non obligat nisi tempore necessitatis, subindeque usque ad finem vite, vel saltem ad longum tempus, sine peccato differri potest. Unde D. Martinus per octo annos mansit Cathecumenus, & S. Ambrosius non erat baptizatus, quando electus fuit Episcopus.

Respondeo quidquid sit de aliis præceptis affirmativis, esse specialem rationem de præcepto baptismi, quia baptismus est necessarius ad inchoandam vitam spirituales, & sine illo non possumus recipere alia sacramenta, quibus Christiana religio colitur, & ideo ne beneficio aliorum sacramentorum frustremur, debemus quanto citius convenienter & commode fieri potest, characterem baptismali insigniri. Prædicti vero sancti ex magna reverentia & humilitate distulerunt baptismum, quia existimabant se ad illius susceptionem non esse sufficienter dispositos, & ideo illorum exempla non sunt trahenda in consequentiam. Unde ut annotavit Baronius tomo 4. anno Christi 377. num. 14. Ipsemet Ambrosius, factus Episcopus, in eo multus fuit, ut pravam illam consuetudinem, quæ tam in Occidente quam etiam in Oriente usu temporis coaluerat, quâ fideles quamplurimi usque ad provectiorem ætatem baptismum differunt, penitus ut malum germen ex agro dominico evelleret; & quod se fecisse doluit, ab aliis ne imposterum fieret, vehementer admonuit. Præstiteruntque hoc ipsum apud Orientales Basilii atque Gregorius Nazianzenus, nec non Gregorius Nissenus, ut ipsorum de baptismo edita rationes significant. Demum Ecclesia ut hunc abutulum tolleretur, prohibuit ne Cathecumeni, si essent plenè instructi & idonei, susceptionem baptismatis, ultra vigiliam Paschæ aut Pentecostes differrent, ut constat ex Canone Dno tempora, & ex Canone Catechismus, de consecrat. dist. 4.

Dices, Hæc Ecclesiæ determinatio non potest obligare Cathecumenos, illos saltem qui sunt nati ex infidelibus, quia non subduntur Ecclesiæ: Ergo illi non peccabunt, si ultra illud tempus ab Ecclesia præscriptum differant baptismum.

Respondeo quod quamvis Ecclesia non habeat jurisdictionem directam supra Cathecumenos, nec possit eos cogere ad suscipiendum baptismum, quia tamen præceptum divinum baptismi eos obligat, & Ecclesia habet potestatem determinandi præceptum illud, consequenter etiam & indirecte, potest obligare Cathecumenos ad sumendum baptismum tali tempore, si velint Ecclesiam incurrere, & eos punire penâ ejectionis, si ejus determinationi non pareant: quomodo Religio obligat Novitios, quamvis ad se non pertinentes, ad proficendum tali tempore, & tali ritu, si ipsam

velint ingredi, & si non obtemperent, punit eos penâ expulsiōis.

ARTICULUS II.

An quando baptizatur adultus, requiratur ex parte eius aliqua intentio suscipiendi Baptismum?

Cum parvuli non sint capaces propriæ intentionis & consensûs voluntatis, evidens est ad valorem baptismi eorum, nullam requiri talem intentionem, sed sufficere voluntatem Christi & Ecclesiæ, quæ tanquam mater præbet ipsis uterum, ut spiritualiter regenerentur, cor ut possint credere, & os ut confiteantur fidem. Quare solum difficultas est de adulto, pro cuius resolutione.

Advertendum est, adultum baptizandum quatuor diversis modis in receptione baptismi se habere posse. Primò ut expressè repugnet & contradicat receptioni illius. Secundo, ut solum coactè, & metu cadente in constantem virum, permittat se baptizari. Tertiò, ut interpretativè solum baptizari velit, quando scilicet in vigilia existens, habuit intentionem suscipiendi baptismum, & postea non mutata tali intentione, dormiens baptizatur. Quartò potest adultus ita suscipere baptismum, ut ad illum merè negativè seu indifferenter se habeat, illi nec consentiens nec dissentiens. His præmissis.

Dico primò: Quando adultus expressè repugnat & contradicit receptioni baptismi, ille invalidus est. Conclusio est certa, & definita ab Innocentio III. in cap. *Maiores* de baptismo, probaturque ratione fundamentali: Cum enim baptismus sit quædam fidei professio, propter quod dicitur sacramentum fidei, sicut nullus repugnans & contradicens susceptioni fidei, recipit fidem, utpote quæ cum rationibus naturalibus non vincat intellectum, sine voluntatis consensu, & obsequio, ac pia ejus motione, non recipitur, ita nec sacramentum baptismi. Unde D. Thomas quæst. sequenti art. 9. Deus (inquit) non cogit hominem ad iustitiam, sicut Damascenus dicit, & ideo adhuc ut aliquis iustificetur per baptismum, requiritur quod voluntas hominis amplectatur baptismum; & baptismi effectum. Addit Soto, quod cum Deus omnia suavitè disponat, id maxime de fide & lege Evangelica constituit, ut nemo nisi consentiens, Christianus fiat, & baptismi sacramentum suscipiat.

Dices, Baptizatus se habet sicut patiens in sacramento: At intentio non requiritur ex parte patientis, sed ex parte agentis: Ergo ad recipiendum valide baptismum, nulla ex parte baptizandi requiritur intentio, subindeque baptismus erit validus, tametsi ipse repugnet receptioni illius.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 7. ad 1. quod in iustificatione quæ fit in baptismo, non est passio coacta, sed voluntaria, & ideo requiritur intentio recipiendi id quod ei datur. Baptizatus enim non est quasi passum merè naturale, veluti stippa dum incenditur, sed est passum rationale & liberum, & ideo requiritur in eo intentio, non quidem agendi, sed liberè recipiendi, quia recipiendo se obligat ad ea quæ sunt vitæ Christianæ propria, & ideo modo humano & libero debet suscipere & sibi imponere statum cui annexa est talis obligatio.

Dico